

Johann Georg Neumann Benjamin Neumann

De Pontifice Novi Testamenti : Ex Hebr. VII, 26. 27.

Wittenbergae: Kreuzsigius, 1699

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn74661389X>


Druck Freier  Zugang






34

Fa. - 1092 (34.)





Q. D. B. V.

De,

PONTIFICE
NOVI TESTA-
MENTI,

Ex Hebr. VII, 26. 27.

PRÆSIDE

DN. IO. GEORGIO
NEUMANNO,

S.S. Theol. D. P. P. Alumn. Elect. Ephoro,
& Academiae Bibliothecario,

*Patrono ac Præceptore suo æterna
mentis observantia colendo,*

Ad D. V. Maji, A. O. R. M DC XCIX.
publice differet

BENIAMIN NEUMANN,

Gedanensis,
AUCTOR.

WITTENBERGÆ,

Typis CHRISTIANI KREUSIGII, Acad. Typogr.

ILLUSTRI SENATUI
INCLYTAE REIPUBLICAE GEDANENSIS,
PERILLUSTRI DOMINO
BURGGRAVIO REGIO,
*GENEROSIS, MAGNIFICIS, MAXIME
STRENUIS, CONSULTISSIMIS*
DOMINIS
PRAESIDI, ET
PRAECONSULIBUS RELIQVIS,
UT ET
CONSULIBUS,
PATRIBUS PATRIAE CONSCRIPTIS,
*DOMINIS, PATRONIS AC MAECE-
NATIBUS OPTIMIS, MAXIMIS*
Felicitatem perpetuam!



ingularis plane Ordinis Vestri affectus est, quem multis ab hinc annis mihi, immerenti licet, exhibuistis. Si par esset voluntati ingenium, & vires suppeterent, summa, quæ in me extant, merita, late hic commemorarem: sed copia me obruit, & magnitudo quoque facit, ut ea vix animo complecti queam, verbis autem exprimere non valeam. Quod in illustri Athenæo Patrio quondam bonis literis incumbere, & eruditissimos viros, quos colo ac veneror, duces sequi potuerim, Vobis debeo, INCLVTI PROCERES, quorum benignitatem jam tum abunde satis experiebar. Neque verò me ad externos abeuntem deseruistis, sed studia mea fovistis constanter, ac me ope auxilioque Vestro perliberaliter sublevastis. Quæ dum mecum repeto, quod persæpe fit, simul quoque in mentem venit recordari, quæ Vobis jure summo debeam officia, &, dum ingrati animi speciem effugere studeo, de argumento cogito, quo meam erga Vos pietatem sanctissime confirmem. Sed cum facultate destituar, quod magnopere doleo: Igitur priscum sacrificantium morem imitabor, qui mola salsa Diis litabant, rati, munera non pretio, sed animi devotione esse metienda. Vos Dei vicem geritis in terris, quorum in conspectum

40.

39.

38.

37.

36.


Atum dum prodeo, non equidem hecatombas splendore Vestro indignas offero, sed pagellas has tenues admodum ac perexiguas Vobis sacras esse cupio, non, ut eas expectatione Vestra dignas putem, quod mihi non assumo, sed ut voluntatem piam animumque obsequium declarem. Ceterum thura precum succendam, & divinum Numen venerabor supplex, Vos salvos sospitesque servet, ut post Deum virtute Vestra, quæ dudum orbi innotuit, regatis feliciter, remque publicam immortalis cum Nominis Vestri fama æternam invictamque præstetis, me denique inter clientes Vestros receptum foveatis porro, & salutem fortunamque meam, quæ tota in Vobis reposita est, perbenigne sustentetis.

INCLVTORUM PROCERUM

*Scr. Vitembergæ c. 10 Id. XCIX.
Ipsis Calendis Maji.*

subjectissimus cliens,

BENIAMIN Neumann/
Ged.



Faxit Numen!

QVari multum disceptarique solet, ex quo-
nam genere sanctissimus Servator noster sit
oriundus, Regione an vero Sacerdotali. Pa-
tres quosdam in hoc negotio minus accura-
te semper versatos fuisse, observant nostri. Quum
enim hi & Regium pariter & Sacerdotale Christi mu-
nus assertum vellent, animo non malo, sed pio consi-
lio Mariæ Christi matri Sacerdotale genus vindicave-
runt. *Augustinus* Sec. V. Pater, hac in re varius, Ma-
riam ex Levi & Juda simul originem duxisse affirmat.
Cujus femina, de Maria loquitur, *quoniam nec*
Sacerdotale genus tacetur, insinuante *Luca*, quod
cognata ejus esset *Elisabetha*, quam dicit de filia-
bus *Aaron*, firmissime tenendum est, carnem *Chri-*
sti ex utroque genere propagatam, & Regum
scilicet & Sacerdotum, in quibus personis apud
illum populum *Hebræorum* etiam mystica unctio
figurabatur, id est *chrisma*, unde *Christi* nomen
elucet, tanto ante etiam ista evidentissima signifi-
catione prænunciatum, lib. II. de *Consens. Evang.*
cap. II, Atque eam sententiam ex *Manichæo* hau-
sisse videtur, qui primus omnium, quod e quidem

A

sci-

40.
39.
38.
37.
36.

sciam, Mariam ex tribu Levi esse tradidit apud *August. lib. XXIII. contra Faust. cap. IIX.* Idem sentit *Beda*, ratione nixus, quam modo commemoravi, nimirum quoniam Servator & Regis & Sacerdotis munere perfungi debuit. Eadem aliorum quoque Patrum fuit sententia, quorum tamen auctoritatem *Baronius* sequitur *Appar. ad Annal. Sect. XXX seqq.* At enim vero Messiam ex tribu Levi oriundum esse, in sacris literis reperias nunquam, sapius autem ex tribu Judæ, quod Jacobus morti vicinus prænuñciaverat: *Non desistet tribus a Juda, neque legislator e medio pedum ejus, usque dum venturus erit Schilo, Gen. XLIX. 10.* Quare etiam leo de tribu Judæ vocatur, *Apoc. V. 5.* cujus tribus vexillum, quo in bello utebatur, leonis imaginem exhibebat. Neque Sacerdotium Christi commune fuit & Aaronicum, sed singulare prorsus & Melchisedeccianum. In eo sententiæ præsidium quærendum non est, quod Elisabetha Mariæ cognata dicitur *Luc. I. 36.* eo quod vel Elisabethæ pater vel majores ejus uxorem ex tribu Judæ duxerunt. Et quid multis? Paulus cum Hebræis differens, ad communem gentis Judaicæ consensionem provocat. *Πρόδηλον manifestum est, quod ex Juda ortus sit Dominus noster, Hebr. VII. 14.* Etsi vero sanctissimus Servator ex stirpe Regia & Heroum sanguine sit prognatus, nihilo tamen minus & Sacerdotis explevit partes ac functionem hanc summo studio summaque cura est executus. Est locus
Hebr.

Hebr. VII. 26. 27. qvi id ipsum comprobat solide, & luculenter evincit.

Τοιῦτ' Ἐ γὰρ ἡμῖν ἔπρεπεν ἀρχιερεὺς, ὅσι' Ἐ, ἀκακ' Ἐ, ἀμίαντ' Ἐ, κεχωρισμέν' Ἐ ἀπὸ τῶν ἀμαρτωλῶν, καὶ ὑψηλότερ' Ἐ τῶν οὐρανῶν γενόμεν' Ἐ.

Ὅς ἔκ' ἔχει κατ' ἡμέραν ἀνάγκην, ὥσπερ οἱ ἀρχιερεῖς πρῶτον ὑπὲρ τῶν ἰδίων ἀμαρτιῶν θυσίας ἀναφέρειν ἔπειτα τῶν τῶ λαῶν· τῆτο γὰρ ἐποίησεν ἐφάπαξ ἑαυτὸν ἀνεύχνας.

Verſio Vulg.

Talis enim decebat, ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, & excelsior caelis factus.

Qui non habet necessitatem quotidie (quemadmodum Sacerdotes) prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit semel, se offerendo.

Hunc explicandum mihi sumam, & de Pontifice Novi Testamenti, quoad vires permiserint, breviter strictimque differam.

A 2

Prin-

40.

39.

38.

37.

36.

Pincipio, nexum verborum observo, cujus omnino habendam esse rationem, particula *γὰρ*, sub initium textus posita, admonet. Apostolis, qui pro Deo legatione in his terris fungebantur, usu receptum erat, quam ore professi fuerant doctrinam, eam scripto quoque confirmare, ne forte excideret iis, quibus cœleste verbum annunciarant. Hunc morem noster quoque tenet, & cum ad Judæos, qui Christi sacra amplexi fuerant, literas perscriberet, perutile censebatur, de divinis mysteriis eos de novo admonere. Cum primis Sacerdotale Christi munus, maxime in hoc capite, ex quo nostra desumpta sunt, solícite inculcat, & hujus præ Sacerdotio Aaronico auctoritatem longe majorem esse, plurimis, iisdemque maxime idoneis argumentis, demonstrat. Ac primo quidem non minimum præsidii in eo situm esse putat, quod Melchisedecus, quæ typus & figura Pontificis Christi extitit, reliquis Sacerdotibus omnino omnibus sit antefendus. Id ne gratis dixisse videatur, comprobatur statim, atque inde evincit, quod Melchisedecus ab Abraamo tanquam capite Sacerdotii, & quod huic consequens est, ab ipsis etiam Levitis acceperit decimas, præterea eidem divino Patriarchæ benedictionem, publico & solenni ritu contulerit, denique in sacro codice veluti perpetuo Sacerdotio fungens fuerit representatus, secus atque Sacerdotes Levitici. Dehinc progreditur Apostolus ad ultimam summamque satisfactionem pro commissis sceleribus, quæ quidem a Christo Sacerdote expectanda sit, ne utique vero a Sacerdotio Levitico. Quare etiam sapientissimo Numini placuerit mutare rerum statum & alium constituere Sacerdotem extra ordinem, eumque ex stirpe Judæ, aliter quam lege cautum erat, a Davide prænunciatum. Ne quis vero existimet eo ipso augeri maxime & perfici Sacerdotium Leviticum, Paulus aperte testatur, sublatum illud esse penitus atque abolitum, eo quod hominibus
fa-

salutem conferre non potuerit, sed viam saltem muniverit ad meliorem spem veramque animi fiduciam, qua Deo appropinquamus. Tum vero praestantius foedus urget, in Sacerdotio Christi conspicuum, & irrevocabili jurejurando divinitus confirmatum. Neque perpetuitatem officii praetermittit, quod in omnem aeternitatem duret, & nullis seculis finiatur. Nunc ad singularem Christi Pontificis perfectionem accedit, quae in Sacerdotibus Leviticis minime fuerit deprehensa.

§. II. Ante vero, quam id dicere ingreditur, sacrum Servatoris munus denuo firmat, atque Pontificis titulo eundem exornat. Sacerdotibus Vet. Test. suus constabat ordo, quando quidem in certas classes sigillatim 24. distributi erant, quae certis hebdomadam vicibus sacrificandi munere perfungebantur, quod ex 1. Paral. XXV. intelligitur. Harum classium nomina a primis auctoribus accepta retinebantur, licet illi dudum obiissent. Hinc est, quod Zacharias Joannis Baptistae pater, de classe Sacerdotum fuisse dicitur, quae domus Abia nuncuparetur, Luc. I. 5. Hos omnes dignatione vincebat Sacerdos summus כהן הגדול & הראש dictus, quem morem & gentiles imitati, suos pariter habuere Pontifices, quos Maximos appellabant, eo quod Sacerdotio maximo fungerentur. Legendus est eam in rem Jacobus Guthrius de veteri jure Pontificio urbis Romae. Ceterum Hebraeorum Pontifex cum sacro muneri admoveretur, peculiari oleo ad id confecto secundum jussum divinum solenni ritu inungebatur, quapropter etiam כהן המשיח i. e. Sacerdos unctus in sacris literis sapientius appellatur Lev. IV. V. Hunc inungendi morem in Aarone omnium primo observatum fuisse Moses refert, Lev. II. X. cujus & David meminit, qui mutuam animorum conjunctionem cum unguento optimo confert, quod capiti affusum in barbaram Aaronis descendit, & hinc in oram vestimenti ejus collo propinquam Ps. CXXXIII. 2. quod commode satis fieri poterat, cum sacro oleo in medio, qui oculos & palpebras interjacet loco, figura literae Graecorum χ efformaretur.

A 3

§. III.

40.
39.
38.
37.
36.

§. III. Huic vicarius erat, כהן dictus, qui Sacerdoti summo, si aliqua ipsi obvenisset immundities, quare munere suo funginon poterat, surrogabatur, & ceteris Sacerdotibus præerat, & Præfectus summus appellabatur. Inde locum interpretor *Luc. III. 2.* ubi Annas & Caiphas Pontifices fuisse dicuntur. Cum enim certum sit uno eodemque tempore duos Pontifices sacro ordini nunquam præfuisse, alterum de Sacerdote summo, alterum de ejus vicario explicandum esse vero per est simile.

§. IV. Præter utrosque alius etiam Sacerdos summus prælii causa constitutus erat, & unctus ad bellum vocabatur, sive ut Hebræis verbis pronunciem, משיח מלחמה, cui id negotii datum, ut militibus in bellum ituris animum adderet, eosque sublata voce erigeret ac cohortaretur, sequerentur ducem, rem bene gererent, conficerent fortiter. Ex quo enim consilium ceperant Judæi suscipiendi bellum, antequam copias suas adducerent, congregabant eos in certum aliquem locum, & Sacerdos ad bellum unctus e superiore loco milites alloquebatur verbis ex *Deut. XX. 3.4.* desumptis: *Audi Israel, vos hodie contra inimicos vestros pugnam committitis, non pertimescat cor vestrum, nolite metuere, nolite cedere, nec formidetis eos, quia Dominus Deus vester in medio vestri est, & pro vobis contra adversarios dimicabit, ut eruat vos de periculo.* Hæc repetebantur postea, cum reduxissent copias, atque in eo esset, ut hostes adorirentur.

§. V. Quæ cum mecum confidero, jure meritoque Pontificis titulum Servatori competere deprehendo. Id certe mysterio non caret, quod Pontifices V. T. sacro oleo ad formam crucis quam vocant Andreanæ, quæ Græcorum χ refert, ad munus sacrum fuerint inuncti, quo Dei filius, qui pro universo mundo victima factus, & in ara crucis patri oblatu est, aliquando inungendus præfiguraretur. Litera enim χ olim quoque in primitiva Ecclesia Servator insigniri solebat, quæ Constantino M. e cælo ostendebatur, veluti certissimum victoriæ sub-

subsecutura indicium, ut ipse Eusebius testatur, in vita Constantini M. ex cuius ore se hæc accepisse sancte affirmat. Unctus igitur est Servator ad Sacerdotale quoque munus, non materiali oleo, sed plane singulari, donis videlicet infinitis & maiestate divina, adeoque fidem fecit vaticinio Zach. VI. 13. *Gestabit gloriam s. decorem*, i.e. in augusto summi Sacerdotis ornatu incedet, eritque Pontifex. Ea enim loquendi ratione ad vestimenta Pontificis Vet. Test. respicitur, quæ facta dicuntur *לכבוד ולפאר*, *in gloriam & decorem*, Exod. XXIX. 2. Quare *uncti* nomine designatur etiam sub tempora Vet. Test. 1. Cor. X. 9. Eph. I. 4. Hebr. XIII. 2. cum idem semper fuerit, & officii sacri vis effectrix perpetua sit, & ad omnes omnium seculorum homines sese extendat, quamvis unctio hæc eo demum tempore fuerit peracta, quo divina & humana Christi naturæ arctissime conjungebantur. Eadem dignitate conspicuos esse voluit fideles omnes, quos pariter in Sacerdotes unxit, quare Christiani appellantur, quo venerabili nomine primo omnium Antiochiæ ornatos fuisse ex Act. XI. 26. constat. Sed hi spirituales hostias Deo offerunt: preces, eleemosynas, & si quid huiusmodi. Unicum vero est Novi Test. sacrificium expiatorium, quod Christum Dominum, quem Prophetam ac Regem esse constat, insuper etiam Sacerdotem designat. Promissus hic mundo Propheta, tandem se hominibus in carne patefecit atque doctrinam cœlestem professus legem jam a Mose traditam recte interpretatus, atque a strophis argutiisque adversariorum vindicavit solide, Evangelium in primis in Vet. Test. prænunciatum solennius annunciavit, & subiectis subinde miraculis confirmavit. Mysteria quoque sacra instituit, ceu sigilla gratiæ, quibus oblatam in Evangelio iustitiam certiolem redderet ac obsignaret. Tum vero ceteris quoque hominibus salutem Dei sanguine cunctis partam annunciari voluit, idque negotii Apostolis dedit, qui dicto audientes universum terrarum orbem sunt emensi. Hodie quoque munere hoc perfungitur, per ministros verbi, qui voluntatem divinam homini-

40.
39.
38.
37.
36.

minibus annunciant, & Sacramenta recte administrant. Idem-
 que Rex a nativitate fuit, ac creaturis omnibus dominatur,
 cum primis cœtum diviniorem contra omnes omnium furo-
 res defendit atque tuetur, eundem regni cœlestis reddens par-
 ticipem. Denique Sacerdotis munus exequitur, cujus est ho-
 stias offerre Deo, & apud eum pro populo deprecari, de quo
 pluribus differendi postea dabitur occasio. Igitur vere *τῆς μέ-
 γις* est, quod de Trismegisto Aegypto pronunciant Scri-
 ptores, si quidem is extitit unquam, non enim eam litem nunc
 meam facio. Nunc contra Pontificios annotasse sufficiat, Pon-
 tificis nomen secundum utramque naturam divinam pariter
 atque humanam Servatori competere. Id enim vel Sacerdo-
 talis oblatio, qua se pro totius mundi peccatis in mortem tradi-
 dit, satis evincit, utpote quod mero homini adscribi nequit,
 nisi Scripturæ S. aperte obloqui velimus. *Pf. XLIX. 8. Frater non
 redemit, nec homo redimendo redimet quæquam.* Interea tamen,
 quod hic prætereundum non est, etiam tempore Vet. Test. Sa-
 cerdotis explevit partes, non utriusque tamen, sed alterius
 tantum naturæ divinæ videlicet intuitu, cum pro lapsis inter-
 pellaret, Protevangelium promulgaret, *Gen. III. 15.* promissio-
 nem de semine benedicto repeteret, *Gen. XII. XVII. XXII. &c.*
 peccata hominum per sacrificia expiaret, *Apoc. I. 8.* & quæ sunt
 ejus generis, *B. Dorisch. Pentad. Dissert. 15. §. 8.*

§. VI. Neque vero typicus extitit Sacerdos, sed antitypi-
 cus & Novi Test., immunis plane ab omni labe, cui necesse
 non est pro propriis peccatis offerre, sed tantum pro populi,
 quod semel peregit, semetipsum offerendo. Id fusius dedu-
 cit Apostolus, & eminentem ejus præ reliquis sanctitatem so-
 licite expendit, & sanctum eum vocat, innocentem, impollu-
 tum, segregatum a peccatoribus, & excelsiorem cœlis factum,
 quibus ceu Synonymis vocem sanctitatis declarat, quæ Flacii a-
 nimadversio est. Hæc singula justo ordine persequar, & quid
 sibi velint, exponam paucis.

§. VII. *ὄσι* appellatur, quæ vox sanctum, justumque
 deno-

denotat, qvōd Græcorum usu satis constat. Etsi enim sint, qvi
^{ἁγιον} interpretentur sanctum erga Deum, & ^{δικαιον} iustum erga
homines, tamen hæc vocum distinctio apud scriptores Græcos
non est perpetua. Atqve is est Pontifex N. T. qvi non lamina,
sed menti inscriptum habet קדש ליהוה, ut Grotius loquitur. Si
enim ex divinitate eum spectes, in se sanctus est *1. Sam. II. 2.* si
ex humanitate, nullius accusari poterit criminis. Ceteri homi-
nes omnino omnes mali sunt, ac vitiis qvotidie se conta-
minant, cum enim contagione qvadam, qvæ a primis homi-
nibus originem duxit, infecti sint, mirum non est ex malo fonte
non meliorem rivum, fluere. Equidem & homines qvandoqve
sanctitatis elogio ornari reperias, & sanctos nuncupari, qvi in his
terrīs sunt, at manca & mutila est eorum sanctitas, nec om-
nibus numeris absoluta, ut sanctissimi qvique veniam scelerum
apud Deum deprecari necesse habeant. Qvotqvot communi
generationis lege prognati impuri sunt ac commaculati,
si eam, qvam Christo debent, excipias sanctitatem *1. Cor. VI. II.*
solus Dei filius immunis est ab omni labe peccati, ut ut se homi-
nibus in carne nostra persimilima patefecerit. Memoriae proditum
est Gentiles sacrificulos suos pueros sanctosqve habuisse,
qvippe qvos per præconem prius lustrari par erat, interposito
jure jurando, qvale illud fuit ministrarum in Bacchi sacris apud
Demosth. Orat. in Nearam ἁγιστεύω καὶ εἰμι καθαρὰ καὶ ἀγνή ἀπὸ
τῶν ἄλλων τῶν ἑκαθαρευόντων, καὶ ἀπ' ἀνδρῶς συνουσίας, καὶ τὰ θεόγνια
καὶ ἰοβακχεῖα γεγαίρω τῶ δουλεύσω κατὰ τὰ πάτρια καὶ ἐν τοῖς καθή-
κασι χρόνοις. *Pia & pura & munda sum a ceteris immundis, &*
a viri congressu, & divinum natalem & Iobacchea celebri Baccho
patrioritu & legitimis temporibus. Hinc vetus jus Pontificium:
Addivos adeunto caste, pietatem adhibento, opes amovento: qvi
secus faxit, Deus ipse vindex erit. Pontifex N. T. nulla lustra-
tione indiget, qvippe summe sanctus, de cuius sanctitate et-
iam testantur externi & non christiani homines, inter hos præ-

B cipue

40.
39.
38.
37.
36.

cipue *Iosephus* Scriptor Judaicus non sine æterno gentis suæ opprobrio *Antiq. lib. XXIX. cap. IV.*

§. IIX. *Αναξ* præterea dicitur, h. e. ab omni dolo, fraude & studio nocendi maxime alienus. *κακία* enim voluntatem nocendi notat, contra *ἀναξ* is audit, qui a studio nocendi quam longissime abest. Equidem Pharisei aliique infensissimi Servatoris hostes quæsi verunt solcite, quod in ipso reprehenderent, at invenerunt nihil. Tamen nescio quæ convitia ac probra in ipsum conjiciebant, & sanctissimam ejus famam & existimationem convellere audacter annitebantur. *Edax ac vini potator* per calumniam iis audiebat *Matth. XI. 19.* quod quidem convitium, ut eruditi observant, maxima scelera complectebatur, perinde ac si is esset Servator, qui patri denegaret obsequium, cibos lege divina moribusque patriis veritos ingurgitaret proterve, & eam in rem patris bona clam surriperet, & hujus pariter atque synedrii minoris monita susque deque haberet & præfracte aspernaretur, adeoque dignus, ut lapidibus eum enecarent *Deut. XX. 18. seqq.* In Samaritanorum numero eum habebant, quos constat coluisse idola, & in monte Garizim columbam divino honore profecutos Semiramidem esse arbitrati, quam in columbam conversam iis persuasum erat. Federe junctum esse Beelzebub cacodæmonum omnium nequissimo calumniabantur, cujus ope atque auxilio tam præclara, hominumque fidem superantia facinora perpetraret. Reliqua dimitto, quæ Servatori, immerenti licet, affingebant. Sed si accusasse sufficit, quis innocens erit, Christus Dominus vitæ doctrinæque innocentia se tuebatur, nec a quopiam criminis se convinci patiebatur. *κακίας* vocabulum id animi vitium designare aliquando deprehendas, quod amoris mutuo refragatur. Atqui eo etiam nomine Pontifex N. T. *ἀναξ* dici meretur. Solent fere homines maximam laudem in eo ponere, si nulli noceant, si injuriam inferant nemini, de cetero nec cuiquam

in-

inerviunt aut opitulantur. Longe alia mens Servatori fuit, qui omnes, etiam infensissimos hostes, & in famam suam perquam contumeliosos, prolixo affectu est persecutus, & mortem ipsam pro iis subire non reformidavit. Tantum abfuit, ut vel in unum fuerit odio, ut potius ægre sibi facientes non toleraret modo, sed etiam amaret ex animo, & maledicta precationibus compensaret.

§. IX. Reperias multos, qui a vitiis flagitiisque sibi cavent, navis vero carere nequeunt. Sed Pontifex N. T. ne minima macula argui potest, quamobrem *αμλαντ* nuncupatur. *Μιασμός* enim, quæ cum nostra cognata est, maculam notat, qualis ex vino contrahitur in vestibus ebriosorum, & natura in facie sæpe comparet, quod *Arctius* observat. Sanctissimus Servator, cum non sibi natus esset, sed hominum causa, ut iis prodesset, non fugiebat pessimos quosque familiaritate sibi conjungere, & cibum cum iis sumere, non, ut eos in improbitate, confirmaret, aut etiam approbaret eam, quam reprehendit semper, & detestatus est, sed ut scelera quibus cœlestes iras promeruerant, averfarentur & agnita vitæ prioris turpitudine mutarent eam in melius: neque tamen hac conjunctione se contaminavit, sed purus incorruptusque permanfit. Græcis lapis est, scisso alumini similis *αμλαντ* dictus, qui in ignem conjectus non consumitur, nec inquinatur, sed flammis invictus splendidior exit, quod Isidorus, Diosc. Plinius, aliique edocent. Non male hæc ad Christum referas, quem diviniore codex sæpius lapidem appellat. Hic ex consortio impiorum illæsus evasit, ejusque sanctimonia & vitæ integritas eo magis inde eluxit. Hinc *Piscis* nomen Servatori tribuisse veteres *Augustinus* commemorat, eo, quod Christus in hujus mortalitatis abyfso, velut aquarum profunditate vivus, i. e. sine peccato esse potuerit. Quamquam alii, & forsan rectius, nominis rationem ad fertilitatem referant, quod Dei filius multos

pisciculos, quo nomine fideles, sacro fonte ablutos, appellarunt veteres, producat.

§. X. Tanta vero est Pontificis N. T. sanctitas, ut ea verbis satis exprimi non possit. Divinus Scriptor nova adhuc loquendi ratione eam insinuat, & *κεχωρισμένον ἀπὸ τῶν ἀμαρτωλῶν* f. segregatum a peccatoribus dicit. Per *ἀμαρτωλῶς*, quoscunque legis divinæ transgressores hic intelligas, pro quibus opus fuit *quotidie immolare hostias* v. 21. *homines infirmitatem habentes* v. 28. quos *Scriptura* i. e. *lex conclusit*, i. e. conclusos esse docuit *sub peccatum Gal. III, 22*. Ab his segregatus fuit, non substantiæ ratione, ut Anabaptistæ volunt, quippe *παράπλησίως consimiliter particeps factus est carnis & sanguinis* h. e. humanæ naturæ *Hebr. II, 14*. hac enim loquendi formula hominem Judæi indicare solent; sed qualitatium culpabilium respectu, quas omnes segregatio hæc exclusit, & intuitu donorum infinitorum, quibus Christus supra consortes suos unctus est *Pf. XLV, 8*. Unicus inter Deum & homines mediator nostra, totiusque mundi peccata sibi a patre cœlesti imputari passus est, eaque universa in se portanda ultro suscepit, atque hoc sensu peccatorum maximus a piis veteribus dici solet, quem loquendi modum contra Pontificios quosdam observari velim, quos id male habet, quod Christum peccatorem dixerit Lutherus noster *Tom. VI. Altenb. f. 698*. dextre intelligendus: in se tamen sanctissimus fuit, si ex divinitate eum æstimes, per essentialitatem: si humanitate metiaris, non tantum ob communicatam sanctitatem divinam, quam primo conjunctionis personalis momento est adeptus, sed etiam ob sanctitatem finitam ipsi per modum habitus inhaerentem. Si Judæos audias, ex iis cognoscas licet, Pontificem V. T. septem ante expiationis sacra diebus in singulari templi conclavi, Parhedrin dicto, a reliquis hominibus sejunctum fuisse, ne aliqua ratione se commacularet, & ad munus obeundum minus idoneus redderetur,

tur, adeoque ejus Vicarius, cujus supra mentionem feci, vi-
ces ipsius in exequendis functionibus sacris sustineret. De Æ-
gyptiorum quoque sacerdotibus constat, ipsis, veluti sacris ho-
minibus, nefas fuisse cum profanis conversari. At longe alia est
Pontificis N. T. a peccatoribus segregatio, utpote quæ innuit,
eundem secundum divinitatem infinito intervallo, si purita-
tem perfectionemque respicias, ab omnibus omnino homini-
bus, imo ipsis etiam angelis distare, neque secundum humani-
tatem in consortium commerciumque peccatorum venire,
& id quidem ob immediatam Sp. S. operationem *Luc. I, 35.*
propter quam, quod ex virgine genitum est, sanctum, imo san-
ctum sanctorum dicitur *Dan. IX, 24.* Quamvis enim Christus
homo factus, quoad infirmitates naturales & inculpabiles li-
bereque assumtas, esset in *similitudine carnis peccatricis Rom.*
IIIX, 3. tamen segregatus fuit a peccatoribus, usque eo, ut ne
quidem peccare potuerit, idque propterea, quod præter ordi-
nariam generationis legem ex pia sanctaque virgine genitus,
per singularem plane Sp. S. ἐπέλευσεν, qui guttas illas sanguineas,
ex quibus Christus homo formandus erat, in virgine segrega-
vit & venenum peccati absterfit, easdemque adeo sanctifica-
vit, & purificavit ante, quam inde formaretur.

Virtus divina puellam

Sincero afflatu per viscera casta maritat.

Præclare scriptum est a *Fulgentio*: *Natus est Christus non sic
ex peccatoribus peccator, sicut ex hominibus homo, sed natus est
homo, susceptus a Deo sine ullo peccato, ut peccatores homines re-
conciliaret Deo. Operæ pretium me facturum esse arbitror, si,
quid eadere senserit Lutherus noster, hic aperiam, & verba
ejus, ut paulo prolixiora, accurata tamen atque perspicua
adscribam: Disputant Doctores Scholastici, utrum natus sit ex
carne peccatrice, an vero munda? An servaverit Deus a condito
mundo aliquam puram guttulam carnis, ex qua Christus nascere-*

B 3

tur?

40.

39.

38.

36.

tur? Respondeo ergo Christum vere natum esse ex vera & naturali carne & sanguine humano, qui corruptus fuit originali peccato in Adam, sed sic ut posset sanari. Sicut nos credimus & speramus, qui sumus circumdati carne peccati, futurum, ut in die redemptionis nostrae ea purgetur, & separetur ab omnibus infirmitatibus, morte & ignominia, sunt enim peccatum & mors mala separabilia. Itaque cum ventum fuit ad virginem, vel guttam illam sanguinis virginis, impletum est, quod dixit angelus: Spiritus S. veniet super te, & obumbrabit tibi. Non quidem natus est Messias virtute carnis & sanguinis, sicut Jo. I. dicitur: non ex sanguinibus, neque ex voluntate viri &c. Sed tamen ex massa carnis, & ex isto sanguine corrupto voluit nasci. In illo autem puncto conceptionis virginis Sp. S. purgavit & sanctificavit massam peccati, & extersit venenum diaboli & mortis, quod est peccatum. Et mansit mors in ea carne, propter nos, tamen fermentum peccati expurgatum est, & facta est purissima caro per Sp. S. purificata, & unita cum divina natura in una persona. Est igitur vere natura humana non alia, quam in nobis. Et Christus est filius Adæ, & de semine & carne ejus, sed ut dictum est Spiritu S. obumbrante, operante & purgante, ut apta esset ad hanc conceptionem innocentissimam, & mundam ac sanctam nativitatem, qua nos purgaremur & liberaremur. Hæc ille Comm. in Gen. XXXIIX.

§. XI. Olim sanctum dicebatur, quod a profano usu separatum, Deo consecratur, verbum enim שֶׁקֶט in Piel separandi, & ad certum aliquem usum destinandi significatu accipi solet. Atque eo etiam nomine Pontifex N. T. Sanctus dici meretur, cum Patri cœlesti victima fuerit consecrata. Perplacet elegans Theodoreti observatio, cum ἁγίου dicit, quasi ἁγείον, quod nihil terrenum habet. Hæc optime ad Christum referas. Quid enim? ὑψηλότερον τῶν οὐρανῶν γεόμενον excelsior cœlis factus. Si quæras, quandonam Pontifex N. T. officium sacrum fuerit auspicatus, ex Socinianis audias licet, Christum
non

non fuisse Pontificem, cum in his terris versaretur, sed in cœ-
lis demum factum, & morte sua paulatim ad munus publicum
se præparasse. Atque hi fallendi præsidium in verbis Apostoli
quærent, ubi excelsiorem cœlis factum commemorat, quæ
pervertunt plane & incongrue interpretantur. Quod si enim
exinde hoc confici licet, tum demum factum esse Pontificem,
cum sublimior cœlis factus, pari ratione colligas, eundem etiam
sanctum & impollutum non fuisse ante, quam sublimior cœlis
fieret. Ex scripturis sane novimus Servatorem nostrum primo
conceptionis momento, ad sacerdotale pariter munus inun-
ctum, consecratumque fuisse. Pauli verba convenienter expli-
cari debent, utpote quæ infinitam Servatoris majestatem in-
nuunt, quam is per unionem personalem est adeptus, atque il-
li phrasi respondent, quam sub epistolæ initium adhibuit Pau-
lus, ubi præstantior angelis factus dicebatur, hos enim cœli no-
mine venire, ex *Iob. XV. 15.* intelligere licet. In primis ad sum-
mam Servatoris sanctitatem hic respici, cum qua si ipsi cœli
conferantur, immundi illi sint ac imperfecti, non ex vano au-
guror, eo maxime, quod coherencia textus, quæ in explican-
da scriptura diviniore negligi non debet, hanc interpretatio-
nem svadeat plane atque injungat. Persequitur enim insti-
tutum Apostolus, & singularem Pontificis N. T. sanctitatem,
a non necessitate, ut ita loquar, pro peccatis propriis offeren-
di demonstrat.

§. XII. Pergit: *ὅς ἐν ἔχει καὶ ἡμέραν*, & quæ consequuntur.
συστά oblationem quamcunque complectitur, *θύων* enim, un-
de originem ducit, proprie fruges Deo offerre designat, anti-
quissimos enim homines ignorasse cruenta sacrificia, & ho-
stiarum loco vel folia, vel glandes, quibus ipsi adhuc vescebantur,
vel *ψαῖδα* h. e. fractas fruges obtulisse eruditi observant.
Neminem reperias, qui vocabulum hoc ab Homero mactandi
significatu adhibitum fuisse animadverterit, quamvis hæc vo-
cis

36.

40.

39.

38.

37.

cis significatio apud scriptores alios pervetustos, satis sit obvia. LXX. hoc nomine tum Hebræorum זבח, quod idem est ac oblatio pecudum, tum מנחה quod plerumque de oblatione frugum terræ usurpatur, extulerunt. Latinis *hostia* dicitur, vel quod post cæsos hostes immolaretur, vel quod, ut *Servius* vult, Dii per eam hostientur, i. e. æqui ac propitii reddantur, *hostire* enim antiquo vocabulo apud *Plautum* pro *agvare* legas. Iisdem quoque *victima* audit, vel quod victima a victoribus immolaretur, unde *Ovid*:

Victima, quæ cecidit dextra victrice, vocatur.

Vel quod vincirent eam & ligarent. Judæi pariter sua ligabant sacrificia, quod ex *Pf. CXIIX. 22.* colligo: *Ligate sacrificium festi funibus usque ad cornua altaris.* Quem locum *Iarchi* ita interpretatur: *Alligate sacrificium festi lectis vestris, donec offeratur ad cornua altaris, Kimchi* vero sic explicat: *Afferte agnum ligatum funibus, donec offeratis ad cornua altaris, ut coram Domino offeratur.* Constat enim sacrificia angulis altaris, pyramidum instar exstructis, qui cornua vocabantur, non fuisse alligata, cum viva ascendere altare non debuerint, ut ad cornua pervenirent. Sigillatim Judæi agnos Paschales lectis suis alligare solebant, ne fierent immundi, aut aliquo vitio commacularentur. De cetero patet ex quo *Deus optimus Maximus* cum primis hominibus in peccatum prolapsis redintegravit fedus, una de sacrificiis præcepisse, quibus de futuro Messia sacrificio semel in cruce peragendo admonerentur. Prouti is postea peculiare sacrificandi ritus in lege instituit, quos recenset *Leviticus*, quem Judæi propterea תורה הקרבנות legem oblationum vocant. Neque enim existimes sacrificandi morem ex ingenio humano confectum fuisse, siquidem rationi inconveniens videtur, ea ratione Divinum Numen reddi posse propitium, quod ipse etiam *Plato* agnovit ac palam fassus est. Id Pontificiis cogitandum erat, qui secus sentiunt, & ut fictum

Mis-

Missæ sacrificium firment, sacrificiorum cultum ex rectæ naturæ inclinatione proficisci, eaque compulsos tum Patriarchas tum gentiles sacrificasse affirmant. Ita enim *Bellarminus lib. de Missa cap 20. Omnis fere religio, seu vera seu falsa omni loco & tempore, semper ad cultum Dei sacrificia adhibuit. Hinc enim colligitur, id prodire ex lumine & instinctu naturæ, & esse primum quoddam principium a Deo nobis ingenitum. Et Iacobus Bolducius Monachus Capucinus id sibi asserendum sumsit, Adamum primum hominem panem subcinericium, quem Hebræi *Man* vocant, Deo obtulisse, ac peculiarem *Tractatum de Oggio Christiano* conscripsit. Sed dudum obtinuerunt Nostri sacrificiorum ritum divinitus institutum ab Israelitis ad gentes migrasse. *Ethnici enim & qui a vera Ecclesia desciverunt* (loquor verbis *B. Dorschei summi Theologi in Mysaria Missæ l. §. 12.*) *imitatione eorum, quæ a Patriarchis ad venerationem supremi Numinis instituta viderunt, ad suas sacrificiorum processerunt ceremonias, tum quia omnes e Noacho orti, tum quia ex Patriarcharum vel peregrinatione, vel conversatione, vel celebritate id hauserunt, tum quia fama templi, & Religionis in gente Israelitica institute, ad orbis etiam fluxit incolas. Hinc vestigia etiam non obscura cultus Mosaici, emicant in illis, licet myriadibus superstitionum.**

§. XIII. Illuc nunc pergo, quo me singularis plane cultus divini mentio abduxit. Igitur sacrificia V. T. expiabant crimina, quod scriptura divinior aperte satis confirmat. Lev. XVII. II. *Anima carnis est in sanguine, & ego dedi illum vobis, ut super altare in eo expietis pro animabus vestris, & sanguis pro anima piaculo sit.* Hinc etiam Expiationis dies nomen acceperat, quod sacrificia expiatoria publica pro Sacerdote S. & toto populo immolarentur. Equidem sacrificia non in se hæc efficiebant, sed vi meriti Christi, quem eminus representabant. Quare etiam a sacrificantibus præter serium de admissis pec-

C

catis

40.
39.
38.
37.
36.

catis dolorem fides quoque requirebatur, quia certo crederent, sacrificiis his intuitu Messiae olim in cruce immolandi perbenigne sibi a Deo peccata condonari. Cum autem Pontifices V. T. atque peccatis inquinati essent ac homines reliqui, iidem necesse habebant prius pro peccatis propriis, tum vero pro peccatis populi immolare hostias. Quenam autem illae fuerint, dubium multis. Cum sacra expiationis, quorum paulo ante memini, solenni ritu peragerentur, Sacerdoti S. prius necesse erat pro se & domo sua iuvenum offerre, tum & duos hircos ab universo coetu sumere, atque sortes ליהודה & לעזאזל in urnam conjicere, atque hircum alterum, in quem fors ליהודה ceciderat pro populi peccatis offerre, alterum vero, ex quo iniquitates cunctas in eum transtulerat, per virum huic muneri aptum in desertum emittere, ut, quocumque vellet, abiret libere *Lev. XVI.* Atque ad haec sacrificia Apostolum hic respicere, sunt qui existimant. Enim vero cum haec semel tantum quolibet anno fuerint peracta, non vero singulis diebus, iis assentiri non possum. Alii censent, indicari hic iuge sacrificium pro populo singulis diebus oblatum, cuius mentio fit *Exod. XXIX. 38. seq.* Hi vero necesse habebunt asserere sacrificium iuge primo pro expiando peccato Sacerdotis S. deinde pro expiando peccato populi fuisse oblatum. Existimaverim vero de diversis oblationibus verba Pauli accipienda esse, videlicet de munere & sacrificio quotidiano, quorum illud sumptibus propriis comparatum Sacerdotis S. hoc vero ex fisco publico datum populi expiabat crimina. Et munus quidem Sacerdotis S. de quo legas licet *Lev. VI. 20. seq.* ex decima Ephae similae confectum erat, quam in duas dividebat partes, ac ex qualibet parte formabat placentas sex, adeoque ex decima integra placentas duodecim, quas cum oleo in sartagine tostas, unde etiam Sartagine Sacerdotis S. vocabantur, quotidie offerebat, ut populum Hebraeum in duodecim tribus divisum expiaret. Qui recogitabunt,

tabunt, Apostolum hæc ad Hebræos conscripsisse, quibus gen-
tis suæ ritus cogniti penitus perspectiqve erant non admira-
buntur, me de oblationibus diversis verba ipsius interpretari.
Hæ enim fiebant κατ' ἡμέραν i. e. quotidie, neqve est quod cum
Grotio illud per *sapius* explicemus, & a proprietate literæ te-
mere & præter necessitatem recedamus.

§. XIV. Quid v. Pontifex N. T. τὸ ἐποίησεν ἐφάπαξ ἐαυτὸν
ἀνεύχας. Geminum est Pontificis V. T. munus, deprecari pro
populo, & offerre victimam. Utrumqve Pontifex N. T. omni-
um solenissime peregit. Ab omni æternitate pro hominibus
vota fecit, etsi vigore satisfactionis suæ in carne assumpta ali-
quando præstandæ, atqve cum fine mundi interpellandi finem
faciet, minimum profalute hominum impetranda, cujus fide-
les electiqve statim post discessum ex hac vita percipiunt fru-
ctum, de quo cantionis sacræ verba: am Jüngsten Gericht mein
Süßprecher sey/interpretari decet. Nam post diem novissimum
pii plene perfecteqve beati erunt, adeoque intercessionis Chri-
sti ad consequendam quidem salutem non amplius indigi, im-
pii vero æternis condemnationis vinculis adstricti nullius in-
tercessionis capaces, quippe quæ jam ante desiit quoad singu-
los, quando unusquisque eorum in impœnitentia ex hac vita
decessit *Hebr. VII. 25*. Oblationem præsentis loco adstruit Apo-
stolus, & eam plene copioseqve deducit.

§. XV. Victima Sacerdos ipse est, qui se Deo immolavit. Ob-
tulit animam & exquisitissimos in ea perpeßus est dolores, quod
testantur satis, tum incredibilis illa animæ perturbatio, quam
in horto ad radices montis oliveti sito perpeßit, ubi anima i-
psius ad mortem i. e. lethaliter tristis erat *Matt. XXVI. 38*. tum
ineffabilis illa de relictio, de qua jam in cruce pendens lamen-
tabili voce conqvestus *Matth. XXVII. 46*. cum sensus interioris
gratiæ cœlestis ex inhabitante divinitate alioqvi redundare so-
litæ ipsi subtractus, ac consecuti intensissimi inferni dolores,

tanti quidem, quantos nullus unquam damnatorum hominum
perpeti poterit. Obtulit sanguinem pretiosissimum, & pri-
mitias quidem ejus octavo, statim a nativitate die *Luc. II. 21.* ob-
tulit *lacrymas ac clamorem magnum in arca crucis Hebr. V. 7.*
Obtulit aquam ex perfosso ejus latere large profluentem *Io.*
XIX. 34. Obtulit totam carnem i. e. se ipsum anima & corpore
constantem *1. Petr. II. 24.* Neque vero divina summi sacer-
dotis natura hic excludenda est: quæ licet per se victima fieri
i. e. perpeti & mori non posset, tamen, quia per unionem
personalem i. e. arctissimam particeps facta est humanæ natu-
ræ, ut Deus homo sit: recte affirmamus cum scriptura; to-
tum *θεῶν ὄρωπον* se dedisse victimam pro nobis: nam *Deus san-
guine suo redemit Ecclesiam Act. XX. 28. Dominus gloriæ crucifi-
xus est 1. Cor. II. 8. auctor vitæ interfectus est Act. III. 15.* Itaque
Christus homo se obtulit, quod divina ejusdem natura sibi ap-
propriavit, & simul victimæ infinitum valorem pondus & effi-
cacia addidit, adeo, ut quælibet Christi natura egerit cum
communicatione alterius, quod cujusque proprium est. Id A-
postolus innuit vocabulo *εἰς ἑαυτὸν*, quod suppositum denotat, a-
deoque hic Christum *θεῶν ὄρωπον*. Ita fidelissimus Sacerdos *ani-
mam suam posuit a semet ipso Io. X. 18.* & sponte Reip. Christia-
næ victima factus, non equidem se ipsum interficiendo, quem-
admodum in V. T. Sacerdotes occidere victimam, mactare &
præparare eam solebant, quod naturalis amor non permitte-
bat, *nemo enim carnem suam odio habet, sed nutrit eam ac fovet*
Eph. V. 29, sed se ipsum per Judæos crucifixum & occisum vi-
ctimam offerendo Deo, & iusti Dei servi instar patri cœlesti us-
que ad mortem obedientem præstando. *Phil. II. 8.* Quod dudum
prænuñciaverat *Pf. XL. 7. Aures perforasti mihi.* Quæ loquendi
formu a perfectissima Patri obedientia a Filio incarnato præsti-
ta indicatur, & respicitur ad morem in Politia Judaica rece-
ptum, quem Domini cum servis de diuturniore tempore ser-
viti

vitii paciscentes observabant. Si sex anni servitutis essent finiti, adducebat illum Dominus ad Synedrium trium personarum, & iis referebat, quod nollet liber fieri, & ex domo heri sui exire, postea collocabat illum ad ianuam, vel ad postem, sive esset ianua aedium propriarum, sive aliarum, auremque dextram ea parte, qua erat firmior, subula metallica perforabat, in signum perpetuae servitutis. Hac consuetudo apud Graecos locum non habebat, quippe qui servos in fronte signabant, idque non poenae causa, ut apud Romanos, sed ut eorum domini noscerentur, quorum nomina faciei impressa gerebant. Unde LXX. verba generatim reddiderunt: σώμα κατηρίσω μοι *Corpus meum disposuisti*, i. e. certa ratione affecisti & notasti, quam translationem retinet Apostolus *Hebr. X. 5.* Gentiles in victimis suis requirebant, ut sponte sua, nec reluctantes mactarentur, & ducebant eas, non trahebant ad aram. Imo cum victimae jam ad aras solenni ritu adductae essent, explorabant, adstarentne libenter, sin minus, removebantur ab aris, quia Diis suis eas haud gratas acceptasque esse existimarent. Unde *Seneca in Oedipo v. 334. seqq.*

- - Huc propere admove,
Et sparge salsa colla taurorum mola.
Placidone vultu sacra, & admotas manus
Patiuntur?

Et *Florus lib. IV. cap. II.* Nunquam imminentis ruinae manifestiora prodigia, fuga victimarum, cetera. Namque persuasum habebant, coacta Diis placere, & cuiquam prodesse non posse. Idem in sanctissima Christi hostia obinet, qui nihil reluctatus tradidit semet ipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis *Eph. V. 2.* Voluntas tua, o Pater, (dixit) ab aeterno erat, ut genus humanum in peccata prolapsum non sacrificiis tibi expiaretur, justitiaeque & majestati tuae lesa per ea satisfaceret; sed ut tantum essent typus mei, tanquam veri &

C 3

uni-

unici pro totius mundi peccatis sacrificii. Hinc quoniam ipse poscor, ut, qui dederam consilium, feram etiam auxilium, assumtaque humana natura profundissime exinanitus, tibi tanquam servus fidelissimus obediens siam usque ad mortem crucis; en! adsum. Ecce venio, arduum redemptionis humani generis opus sponte suscepturus, voluntatemque tuam observaturus & completurus, quemadmodum Frischmuthus Ps. XL. 7. verba interpretatur.

§. XVI. Oblationem vocabulo perquam significante innuit Apostolus videlicet ἀναθέσθην, quod proprie sursum ferre significat Luc. XXIV. 51. atque in hac epistola perinde ut 1. Petr. II. 5. pro offerre adhibetur. Respicitur enim ad sacrificandi ritum, quo victimæ in aram, ceu locum superiorem attollebantur. Socinus equeidem, ut vim loci 1. Petr. II. 5. enervet, ἀναθέσθην idem esse ac auferre asserit, sed contra naturam usumque vocis: neque enim particula ἀνά eam patitur interpretationem, nec quisquam Græcus scriptor ita voce ea usus est, quod Philologi observant. Pie & accurate satis mentem Apostoli explicat Flacius in Clav. Script. Part. I. p. 902. cum locum 1. Petr. 24. ita interpretatur: Puto talem esse quandam hypotyposin, quasi Christus pingeretur levans, trahens aut sublevans in crucem peccata nostra, veluti si carnifex gestet in tergo reum suspendendum, ac cum eo in patibulum ascendat, ut ibi eum suspendat: sic & Christus dicitur peccata nostra in crucem sublevasse, ac ibi ea crucifixisse; idque in corpore aut super corpus suum, cui ea Pater per imputationem alligaverat, seu illum quasi latronem jugulandum & perdendum humeris ejus imposuerat. Sic erit vicina hac locutio illi Paulinæ, quod Christus chirographum nostrum cruci affixerit. Sic igitur Dominus moriendo mortem & peccatum supplicio extremo affectit, ac veluti crucifixit. Cum impii Christum in crucem exaltarunt, sublevarunt aut affixerunt tum ille, ipsi non cernentibus, alios quosdam, sceleratissimos re-

os patibulo affixit, nempe peccatum, aut injustitiam, diabolum,
mortem, infernum, veterem Adamum & mundum: sicque fa-
ctus est morti mors, inferno pestis. Hæc ille. Gentiles cum per-
svasissimum sibi haberent, divinum Numen hominum pecca-
tis ad iram provocari, atque inde tot calamitates publicas æque
ac privatas oriri, cæde hominum, quod horrendum dictu,
Deum reddi posse propitium existimabant, & pro vita homi-
nis, nisi vita hominis redderetur, non posse Deorum immortalium
Numen placari, quod de Gallis pronunciat *Cæsar lib. VI. de Bell.
Gall.* Cœlestis veritas est hominem, qui simul Deus est, sangvi-
ne suo proprio placasse Deum, quam gentes in injustitia detinu-
erunt, fortasse quia audierant, quandam humanam hostiam pla-
caturam esse Deum toti generi humano, quæ verba sunt, *F. C.
p. 255.*

§. XVII. Ex dictis constare puto, pro quibus Pontifex N. T.
solum obtulerit. Non sane pro se ipso, quandoquidem is o-
mnis labis expers oblatione non indigebat, quæ crimina expi-
aret. Neque pro Angelis sive bonis sive malis. Boni enim in
ea, quæ a Deo conditi erant, sanctitate, permanerunt, & ita
jam in bonitate confirmati sunt, ut in peccatum prolabi non
possint, quippe *διὰ παντὸς faciem Dei intuentur Matth. XIX.
10.* quid? quod Angeli semet ipsos ab hoc mediatore excludunt
vobis dicunt non nobis, *Salvator natus est Luc. II. 11.* & Christus me-
diator Dei & hominum, non angelorum dicitur. *Tim. II. 5.* Nondū
est, ut cum nonnullis existimemus, Christum oblatione sua illis
salutem perpetuam acquisivisse, cum de eo scriptura nihil no-
verit. Mali autem angeli, licet inquinati sint peccatis, nulla
tamen pro peccatis victima ad illos spectat, cum omni spe salu-
tis exclusi & catenis æternis ligati in judicium asserventur *Jud.
1. 5. 6.* Cur illis æque ac hominibus non fuerit victima pro pec-
catis destinata, curiosius quam par est, inquirere non dece:
Nec denique pro creaturis omnibus sese obtulit, ut quidam ab-
fur-

40.
39.
38.
37.
36.

furde satis arbitrantur. Qua opinione abrepti *Franciscus Monachus, Antonius & Beda* avibus, lapidibus & piscibus Evangelium annunciasse leguntur, male insuper intellecto loco *Marc. XVI. 15.* ubi per creaturam omnem homines intelliguntur, maxime gentiles, quos ex more loquendi Iudæis recepto hac formula denotari *Cl. Lightfootus* observat. Quid multis? *omnis pontifex ex hominibus assumtus pro hominibus constituitur Hebr. V. 1.* Homines sunt in universum omnes pro quibus Christus se ipsum obtulit, quod supra v. 26. voce *ἑμῶν* indicavit Apostolus. Sunt ex Reformatis, qui Christum non pro omnibus omnino hominibus, sed pro electis tantum se obtulisse affirmant. Enim vero pro peccatoribus Christus se obtulit, quos esse homines ad unum omnes satis constat. Imo si non pro omnibus se obtulit, quaerenda erit ratio, cur tantum pro quibusdam, eaque vel in divina intentione, vel in immolata hostia quaerenda erit. Jam autem constat, eundem esse erga omnes Dei affectum. *1. Tim. II. 4.* & hostiam infiniti valoris esse, nec sine insigni in Servatorem blasphemia imperfectionis cujusdam argui posse. Bene *Eusebius Caesar. lib. 1. cap. X.* Inventum est magnum, magnique aestimandum pro redimendis Iudæis pariter & Græcis pretium, illud videlicet pro toto mundo piaculum, illud pro anima cunctorum hominum sacrificium, illa pro omni macula & peccato purissima hostia. Quod & ipsi Reformati quidam fatentur, maxime Angli, qui inter Propositiones in Synodo Dordracena hanc primo loco exhibuerunt: *Deus lapsi generis humani miseratus misit filium suum, qui seipsum dedit pretium redemptionis pro totius mundi peccatis.* Quam quidem propositionem cum articulo Ecclesiae Anglicanae publica auctoritate A. M. D. LXII. constituto convenire, aperte fatentur: *Oblatio Christi semel facta perfecta est redemptio, propitiatio & satisfactio pro omnibus peccatis totius mundi, tum originalibus, tum actualibus.* Non ergo est, cur *Turretinus Syst. Theol. Part. II. p. 495.* doctrinam hanc ex Pelagii & Semipelagiano-

anorum scholis hauſtam eſſe contendat, ut quæ ſcripturis ni-
tetur. Paulus id haud obſcure innuit, dum Chriſtum ſe ὑπὲρ
τῶν ἁμαρτιῶν τῆς λαῆς obtuliſſe affirmat. *Grotius* hic a recta via
deſlectit, exiſtimans, Chriſtum quoque pro peccatis propriis
ſe obtuliſſe, ſi vocabulum ἁμαρτιῶν de doloribus illis, qui ſo-
lent peccatorum pœnæ eſſe, & quas Chriſtus occasione etiam
peccatorum humani generis toleravit, accipiuntur. Sed oſten-
ſum ſatis a *B. Calonio*, eodem ſenſu peccata intelligenda, cum
ὑπὲρ τῶν ἰδίων ἁμαρτιῶν quò accipiuntur, cum ὑπὲρ τῆς λαῆς
obtuliſſe dicitur. Hominum crimina in univerſum omnia,
quocunqve illa veniant nomine, Chriſtus perfectiſſime expia-
vit, ne ipſa quidem finali impœnitentia excepta, qua pecca-
tum illa eſt, & adhuc in hac vita exiſtit, nondum clauſa homi-
nibus peccatoribus gratiæ diviniæ janua. Quare etiam veteres
magnum illum mortis Dominicæ diem den Karfreitag ap-
pellarunt, ab antiqva Germanorum voce Kar / qua olim ſa-
tisfactionem pro culpa deſignaffe, obſervant vernaculæ noſtræ
periti. Operæ pretium erit, Lutheri verba huc transcri-
bere: Indem Chriſtus ein Opfer iſt für die Sünde der gan-
zen Welt / iſt er jetzt nicht eine ſolche Perſon / die unſchuldig
und ohne Sünde ſey / iſt nicht Gottes Sohn in der Herrlig-
keit / ſondern ein Sünder iſt er / eine kleine Zeit von Gott
verlaſſen / der da trägt und auffm Halſe liegen hat die Sünde
S. Pauli / der ein Gottesläſterer / Freveler geweſen iſt / S. Pe-
ters / der Chriſtum verleüget hat ; Item Davids welcher ein
Ehbrecher und Mörder war / und machte / daß der Name des
H. Erren unter den Heyden verläſtert ward. In Summa / er iſt
die Perſon / die an ihrem Leibe trägt / und auff ſich geladen hat al-
le Sünde aller Menſchen in der ganzen Welt / die ie geweſen und
noch ſind / und ſeyn werden. Nicht alſo / daß er ſolche Sünde
ſelbſt gethan hätte / ſondern daß er ſie von uns / die wir ſie gethan
hatten / auff ſeinen Leib genommen hat / auff daß er dafür mit ſei-
nen

D

nen

40.

39.

38.

36.

nem eigenen Blute genug thäte. Christus enim, qui non no-
verat peccatum, pro nobis peccatum factus est, 2. *Cor. V. 21*, &
maledictum *Gal. III. 13*. non in hæfive, ita enim sanctissimus in
se vere improbus fuisset, quod & cogitare impium, neque pu-
tative, ea enim ratione nihil fuisset passus, sed imputative, quia
ei universi humani generis peccata imputata erant, non secus
ac si ipsius essent, quare etiam de iis veluti propriis conqueri-
tur *Pf. XL. 13*. quorum pœnas merito luit, & ita inter impro-
bos est reputatus *Es. LIII. 15*. perinde ut sacrificia V. T. quoniam
portabant peccata populi, immunda erant, adeo, ut tangen-
tes quoque redderent immundos, quod ex hirco emissario *Lev.*
XVI. 24. & vacca rufa *Num. XIX. 17*. satis constat. Propterea
Apostolus vocabulum ἐφάπαξ adjungit, quod non unam tan-
tum vicem designat, sed & summam perfectionem, & quod
semel factum est, ita absolutum fuisse, ut repetere minime sit
necesse, imo vero nefas. Sacerdotes V. T. iterum iterumque
faciebant sacrificium, Pontifex N. T. uno sacrificio perfecit
omnia.

§. XIIX. Quorsum vero opuserat, tantos perpeti cruciatus,
& Dei filium se ipsum pro peccatis mundi immolare? Nonne
Deus pro absoluta, qua pollet, potestate, peccata impunita di-
mittere & condonare poterat, quamvis Christus non victima
fieret, & peccata hominum sanguine suo expiaret? Affirmant
quæstionem Sociniani, ac Deum in infligendis pœnis ut recto-
rem se habere asserunt, qui pro arbitrio de jure suo cedere
possit, atque aut punire peccatum, aut illud gratis condonare.
Idem fere sentit *Gvilielmus Trvissus*, qui in libro de *Vindiciis*
Grat. p. 24. inter alia ita concludit: *Si Deus non possit peccata si-*
ne satisfactione remittere, tum id est, vel quia non potest per po-
tentiam, vel quia non potest per justitiam, at neutrum horum di-
ci potest; Si non per potentiam suam absolutam, tum peccatum
condonari sive non puniri est simpliciter impossibile. Ergo pec-
catum

catum non puniri constat ex terminis contradictoriis. Oportet ergo, ut ostendatur contradictio, cum nulla appareat ex terminis formalibus, & contra manifestum sit, hominem non modo posse, sed & debere inimicis suis in ipsum peccantibus ignoscere: sed nec congrue dici potest, Deum hoc non facere posse per justitiam, posito quod hoc facere possit per potentiam. Enim vero dudum obtinuerunt Nostri, Deum non potuisse sine expiatione peccata dimittere impunita, sive justitiam Dei spectes, quæ ei naturalis est, & ut merentibus præmia, ita delinquentibus quoque pœnas decernit, sive potentiam ejus attendas, quia justitiam Dei respicit, utpote in Deo cum justitia plane idem. Igitur omnino Dei naturæ repugnat, peccata impune dimittere, quippe qui opus hominis reddit ei, & juxta vias singulorum restituit eis. *Iob. XXXIV, 11.* ut peccatores severitatem Dei experiantur *Rom. XI, 22.* adeo ut ipsi quoque gentiles hanc Dei justitiam cognoverint, videlicet peccatores morte dignos esse *Rom. I, 32.* Attributa divina se invicem non tollunt, cum ab essentia realiter non differant, neque potentia Dei justitiæ opponi debet, utpote cui maxime consentanea est. Ratio ab hominibus desumpta non procedit, siquidem non eadem hominum ac Dei conditio. Homines enim conservi sunt; Deus autem supremus Dominus est, qui in peccata animadvertit, non, quia pars offensa, sed quia judex est. Imo, fac hoc ita esse, relinqueretur, Deum non tantum posse, sed & debere peccata dimittere impunita, quod ne quidem apud homines semper obtinet, quandoquidem Iudices peccata commissa condonare nequeunt, si munere suo recte perfungi velint. Quid multis? Totum negotium Apostolus unica voce conficit *ἐπιπέτε*, congruebat id & justitiæ & voluntati divinæ. Nam vocabulum hoc non externam speciem decoris h. l. denotat, ut *1. Cor. X, 11.* sed quod ex Dei ordinatione & juxta voluntatem ejus fieri convenit, quemadmodum adhibetur *Hebr. I, 20.* Deus prout insigni erga homines affectu est, cum videret, eos aliquando in pecca-

40.

39.

38.

37.

36.

ttum prolapsuros, filium humano generi ab omni æternitate decrevit, simul quoque perspexit decere, ut filius etiam homo pius esset, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, cui nec necesse esset pro peccatis propriis offerre, quod natura sacerdotii N. T. non permittebat. Igitur id in tempore executus est, & pro sapientissimo liberrimæ suæ voluntatis arbitrio sanctissimum constituit Pontificem, qui simul victima semetipsum pro peccatis populi obtulit. Christus non sibi hunc honorem tribuit, ut fieret Pontifex, sed is, qui dixerat ei: Filius meus es tu. *Hebr. V. 5.*

§. XIX. Erit jam, ut ex iis, quæ dixi, colligam, attamen potiora tantum, quæ sanctissimam fidem asserant solide, ac vitæ morumque sanctimoniam excitent, denique conscientiam interiorius tranquillent. Inprimis Sociniani refellendi sunt, qui sacerdotium Christi mere figuratum esse affirmant, atque in eo consistere, quod hominum curam gerere velit & gerat, atque hoc tantum a regno ejus differre, quod Christus quatenus Rex est, possit nostri curam gerere, quatenus vero Pontifex gerere etiam velit & gerat. At vero Christum Sacerdotem proprie dictum esse, quis dubitaret, cum eum diserte ita nominet Paulus, & munus, quod Sacerdotum proprium est, videlicet immolare hostiam, eidem tribuat. Tum male confunditur Regia & Sacerdotalis Christi dignitas. Is enim, quia Rex est, non tantum miseris auxilium ferre potest, sed & patris charitatem in Regis folio demonstrat, & suos, quos caros habet, veluti filios complectitur, & ut quisque maxime opis indiget, ita ei potissimum opitulatur. Igitur vere Pontifex est, imo *Magnus* non tantum ratione inferiorum Sacerdotum Judæorum, sed etiam ratione Summi Sacerdotis, ut & huic longe anteferendus *Ebr. IV, 14.* Hunc juramento confirmavit Deus, quo firma fide id teneamus, quandoquidem nusquam in Scripturis legas, Patrem cum filium Regem & Prophetam constitueret, iu-

iurasse, quippe quod creditu minus difficile est. Quare etiam Mediator appellatur, quatenus peccatores in gratiam restituit & hominum crimina expiavit. Et si non negem, eo etiam sensu, quo vocabulum hoc internuncium inter duos denotat, eum Mediatorem vocari *Gal. III, 19.* nulla enim cogit necessitas Mosen hic intelligere, quem vulgo Mediatorem V. T. appellare solent Vid. *Bebel. Disp. ad Hebr. XII, 24. §. 16.*

§. XX. Neque plane Pontificii dimittendi, qui maxime iniurii sunt in perfectissimum Pontificis N. T. Sacrificium, quippe excogitarunt Missam, in qua Deo verum & proprium sacrificium offeratur, quæ verba sunt *Conc. Trid. sess. 22. can. 1. Et can. 3.* anathemate feriunt eos, qui dixerint *Missæ sacrificium tantum esse laudis & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii Christi semel in cruce peracti, non autem sacrificium propitiatorium.* Perinde ac si Christus non unico sacrificio offensas composuerit, & peccatores cum Deo reconciliavit. Unicus Sacerdos secundum ordinem Melchisedeci atque æternus, unicum fecit sacrificium, idque æterni ac infiniti valoris. Imo hoc maxime interest inter V. & N. T. quod illic plura extiterint sacrificia, hic vero non nisi unicum semel in ara crucis peractum minimeque iterandum. Et quænam propitiatio illa sine sanguinis effusione? *Hebr. IX. 22.* quænam expiatio tot vicibus repetenda? *Hebr. IX. 12.* Id quidem non negaverim, Patres quandoque, prouti multis magnisque elogiis sacram cœnam ornavunt, ita quoque sacrificii nomen ei tribuisse. Sed vocabulum hoc sensu congruo explicari debet, non de sacrificio aliquo externo, quod scriptura non novit, neque primitivæ Ecclesiæ auctoritate nititur, sed de commemoratione sacrificii Christi semel in cruce peracti, quod Patres volunt. Nam in S. Eucharistia Christus equidem corpus &

sanguinem suum nobis sub pane & vino offert percipienda,
nos vero nihil offerimus, quod victimæ nomen mereatur.
Temperare mihi non possum, quin firmandis iis, quæ modo
differui, sententiam *Chrysostomi*, apud quem in hoc argumen-
to *θυσίας* vocabuli usus perfræquens est, adscribam. *Μία*
ἔστιν ἡ θυσία. Οὐκ ἄλλην θυσίαν, ἀλλὰ τὴν αὐτὴν αἰεὶ ποιῶμεν. μάλ-
λον δὲ ἀνάμνησιν ἑργαζόμεθα θυσίας *Unum est sacrificium. Non*
aliud sacrificium, sed idem semper offerimus: potius vero re-
cordationem celebramus sacrificii *Hom. XVII. in Epist. ad Hebr.*
Accedit, quod, cum olim populus ad altare dona varia, pa-
nem, salem, & alia afferret, quibus tum reficerentur inopes,
tum sacro munere fungentes decenti modo sustentarentur,
hujusmodi oblatio sacrificium fuerit appellata, & quandoquid-
em ea ante S. Cœnæ celebrationem fiebat, hinc evenit, ut & i-
psa Eucharistia Sacrificium nuncuparetur. Quare neminem tur-
bet, si quando a priscis Ecclesiæ Doctoribus *Justino*, Marty-
ris cognomine insigni, *Tertulliano*, *Origene*, aliis Sacrificii no-
men Eucharistiæ tributum legat, siquidem Patres eo significa-
tu, quem modo recensui, vocabulum hoc acceperunt. *Ma-*
neat ergo hoc in causa (cum F. C. loquor p. 255,) quod sola mors
Christi est vere propitiatorium sacrificium. Nam Levitica illa
sacrificia propitiatoria tantum sic appellabantur, ad significan-
dum futurum piaculum. Propterea similitudine quadam erant
satisfactiones redimentes justitiam legis, ne ex politica exclude-
rentur isti, qui peccaverant. Debebant autem cessare post reve-
latum Evangelium. Et quia cessare in Evangelii revelatione de-
bebant, non erant vere propitiationes, cum Evangelium ideo pro-
missum sit, quod exhibeat propitiationem.

§. XXI. Mittamus igitur Pontificiorum Missam, & quid
nostri muneris sit dispiciamus. A Christo sanctissimo Pon-
tifi-

tifice sanctimoniam exemplum capiamus, & ejus vestigiis, quoad fieri potest, insistamus. Etsi enim summam illam, quam Christus adeptus est sanctitatem, consequi non valeamus, opera tamen danda est sedulo, ut quoad vires nostrae permittunt ei reddamur similes, & caveamus, ne scientes prudentesque peccatis nos contaminemus, pro quibus Christus victimam se obtulit patri coelesti. Eo Apostoli admonitio spectat: *Christus peccata nostra ipsemet sursum tulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui iustitia viveremus, 1. Petr. II. 24.* Similem in modum Noster colligit: *Si sanguis taurorum & hircorum & cinis juvenca aspersus inquinatos sanctificat ad carnis puritatem: quanto magis sanguis Christi, qui per spiritum aeternum se ipsum obtulit inculpatus Deo, emundabit conscientiam vestram a mortuis operibus ad colendum Deum vivum Hebr. IX. 13. 14.* Eo maxime, quod Pontifex noster fideles omnes sui honoris fecit participes, ac Sacerdotes sanctos eos constituit, qui offerant spirituales hostias gratas acceptasque Deo per C. I. *1. Petr. II. Apoc. I. 6.* Quisque nostrum illud Augustini sibi dictum putet: *Noli extrinsecus quaerere, quod mactes, habes in te, quod occidas, si superbiam refecas, immolas vitulum, si iracundiam, arietem, si libidinem, hircum, si vagos & lubricos cogitationum volatus, columbam & turturem. In Ps. LI.*

§. XXII. Quod reliquum est, hoc fidei caput maximam afflictis animis affert consolationem. Quod probe perspexit Lutherus noster, quare cum ex ipso quaereret Cruciger, quodnam optimum esset in S. L. oraculum, hoc responsi dedit: *En dictum: Iuravit Dominus & non poenitebit eum: Tu es sacerdos in seculum secundum ordinem Melchisedeci Ps. CX. 4.* Simus criminibus commaculati, quibus transgressi legem divinam aeternas promeruimus poenas, en Pontificem N. T. Sanctissimum

40.

39.


38.


36.


mun, qui nos Deo reconciliavit, ac sacrificio proprio semel
in cruce peracto cuncta expiavit scelera, atque ut in gratiam a
Deo reciperemur effecit, factus propitiatio pro nostris & toti-
us mundi peccatis. Neque nunc nos destituit, aut desertos
esse vult, sed vi meriti sui longe pretiosissimi ceu fidelis Pon-
tifex pro nobis apud Patrem coelestem gravissime deprecatur.


*Huic sit laus, honor & gloria in
sempiterna secula Amen!*























...ppe quod creditu minus difficile est. Quare et
or appellatur, quatenus peccatores in gratiam re-
minum crimina expiavit. Et si non negem, eo et-
ro vocabulum hoc internuncium inter duos de-
Mediatorem vocari *Gal. III, 19.* nulla enim cogit
Iosen hic intelligere, quem vulgo Mediatorem V.
solent Vid. *Bebel. Disp. ad Hebr. XII, 24. §. 16.*

Neque plane Pontificii dimittendi, qui maxime in
perfectissimum Pontificis N. T. Sacrificium, quip-
runt Missam, *in qua Deo verum & proprium sacri-*
atur, quæ verba sunt *Conc. Trid. sess. 22. can. 1. Et*
temate feriunt eos, qui dixerint Missæ sacrificium
laudis & gratiarum actionis, aut nudam comme-
sacrificii Christi semel in cruce peracti, non autem
propitiatorium. Perinde ac si Christus non unico
fensas composuerit, & peccatores cum Deo re con-
nicus Sacerdos secundum ordinem Melchisedeci
us, unicum fecit sacrificium, idque æterni ac in-
s. Imo hoc maxime interest inter V. & N. T. quod
xtiterint sacrificia, hic vero non nisi unicum semel
s peractum minimeque iterandum. Et quænam
illa sine sanguinis effusione? *Hebr. IX. 22.* quænam
t vicibus repetenda? *Hebr. IX. 12.* Id quidem non
, Patres quandoque, prouti multis magnisque elo-
cœnam ornarunt, ita quoque *sacrificii* nomen ei
Sed vocabulum hoc sensu congruo explicari debet,
ificio aliquo externo, quod scriptura non novit,
nitivæ Ecclesiæ auctoritate nititur, sed de comme-
sacrificii Christi semel in cruce peracti, quod Pa-
Nam in S. Eucharistia Christus æquidem corpus &
san-

D 3

40.
39.
38.
37.
36.